

1510 decemviri antiquari voluerunt: non enim arbitrabantur quenquam esse civem posse, qui tam duris reipublicæ temporibus alieniori voluntate suæ patriæ commoda, quam Pontifex Maximus a quo tam insignite lœsus esset, in Senatu administraret. Itaque & Antonius Grimanus & Georgius Cornelius, reliquie sacerdotum propinqui, cum ad Senatum ex literis Roma ab Donato missis est relatum, deinceps affuerunt. quæ quidem literæ magnam in Julio ambiguitatem consiliorum, magnamque voluntatis hæsitationem ostendebant. modo enim de republica honorificentissime amicissimeque loquebatur, seque ei adjutorem ad ea recuperanda, quæ in Rhetis Galliaque amiserat, fore policebatur: Gallorum modo regem se vereri ostendebat, quem quidem propediem in Italiam redditum pro explorato ducebat. A Maximiliano quoque suum legatum prope amplius non admitti, inimicumque sibi illum ex amico esse factum, quod interdictum in rempublicam se nolente rescidisset, conquerebatur. easque ob res uti respublica quibus posset conditionibus cum Maximiliano pacem faceret, Senatui erat auctor, præsertim posteaquam inter Aloisium & Henricum Britanniae regem, qui dissidere putabantur, quod quidem certe dissidium animortisque disjunctio morari Aloisium & retinere, ne itineri se se daret, una omnino poterat, fœdus esse istum & concelebratum cognovit. itaque interdum neque cui confideret neque quo converteret cogitationes suas, neque quem susciperet tuendum, neque quid omnino aut faceret, aut plane diceret, reperiebat. Quibus rebus cognitis Senatus, cui quidem omnia pene deficiebant, Julium tamen per legatum est hortatus, bono animo ut esset: non facturum, quæ ab eo jactabantur, Aloisium: cuius omnes plane populi ab Alpium trajectu & bello in Italia gerendo magnopere abhorserent: Maximilianum quidem & pecuniæ inopia, & aliena Germanarum civitatum a bello contra rempublicam voluntate, & aliarum rerum implicationibus perfacile ad pacis cogitationem descensurum: Henricum vero, cur nocere Venetis cogitet, nullam habere porro causam, cuius & ma-